

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0354

0352

0358

0348

0363

0343

0403

0303

0453

0253

0853

Ende

Anfang

341

Ingredientibus autem nobis urbem factus est magnus concursus populorum ad videndum nos, quia in multis annis non fuerant ibi peregrini latini, et erat quasi monstruosa res videre ibi Christianos latinos occidentales. Induxerunt ergo nos in publicum civitatis diversorium cum omnibus bestiis nostris et locum spatiosum stabulis bestiarum et cellulis hominum inferius et superius bene aptatum habuimus et curiam magnam, quae porta firmiter claudebatur. Erat enim habitatio magna et lata, sicut monasterium. Sunt enim hospitia orientalium diversoria (6a) sine inhabitatore, solum ad alienos spectantia. De dispositione diversoriorum et hospitiorum in oriente vide Parte I. Folio 195. A.

Cum autem diversorium ingressi fuisset, onera deposuimus et bestias locavimus in inferiori ambitu, in superiori vero pro nobis habitacula et cellulas elegimus et in eis lectulos nostros stravimus et locum pro coquendis cibis aptavimus, lignaque pro igne comparavimus et ita cuncta disposuimus, ac si per aliquot dies ibi mansuri essemus. Interea venit Calinus magnus cum aliquibus Sarracenis de civitate, dicens, quod, quia adhuc multum superesset de die, expediens esset, ut illo sero loca sancta visitaremus, ut in crastinum mane ante aestum solis recedere possemus. Et hoc nobis placuit, quia timebamus diutinam detentionem in loco.

De agro plasmationis Adae, qui dicitur ager Damascenus.

Egressi ergo sumus de hospicio nostro et per longum civitatis vicum transivimus, in quo diversi residebant artifices, praecipue tamen vitriatores: fiunt enim ibi vitra, non quidem clara, sed nigra et de mediis coloribus. Adhaesit autem nobis magna hominum multitudo post nos currentium, quia spectaculum fuit, videre ibi occidentales. Deinde pervenimus ad civitatis portam, per quam egressi via regia ad agrum venimus maceria circumseptum, et ibi substitimus, respicientes per maceriam in ipsum agrum utique spectabilem et mirabilem. Erat enim ager dictus Damascenus, in quo Adam protoparens fuit plasmatus. Cum audivissemus hunc